

**Babel, Jean - candidat / Dumont,
Jean-Baptiste-Louis-Pierre -
président. - De fracturis**

1767.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°24

DE FRACTURIS.
THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE-
BAPTISTA-LUDOVICO-PETRO DUMONT,
Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum præposito,
tueri conabitur, JOANNES BABEL, *Lingonensis*, in *almâ*
Universitate Parisiensi, *Artium liberalium Magister*.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, duodecimâ Decembris à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam. A. R. S. H. 1767.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREÆ.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. D C C. L X V I I.

Aa.



DE FRACTURIS.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quæ præparavit, & Prælo M. JOANNIS
BAPTISTÆ LUDOVICI-PETRO DUMONT,
Artis & Chirurgiæ Magistri, Scholæ præcipuæ,
suae condidit, JOHANNES BAPTISTÆ, in obitu
Ludovicæ Ponsæ, veteris Medicinæ Magistri.

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS.

De Fracturis, & de his, quæ à Fractura pendent,
& de his, quæ à Fractura pendent, post mortem.

PETRO LUDOVICO

MAGISTRO



Typis P. A. L. P. Regiæ, Regiæ Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXVII.

BA



DE FRACTURIS.
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



MISERRIMAM hominis conditionem ! Domi maneat, vegetur foràs, quoquò se vertat, aliquid imminet mali cujus improvisa admodùm & ineluctabilis iterùm atque iterùm sese dat occasio. Lubrico fuerit illuctatus pedi, vix ossis cujuspìam Fracturam effugiet ! quam hodiè generatim spectatam, pro virili parte debellare nobis est animus. Antequàm verò rem ipsam attingamus, de ossium structurâ prælibasse juvat.

OSSA, duriores firmioresque corporis humani partes, fulciendis deffendendisque mollibus inserviunt. Fibris mirificè inter sese implexis & ordinatis constant. Imò eamdem struc-

A ij

eram ac molliores corporis partes undique exhibent. Eadem mala pati conspicuum est.

VASCULOSA membranâ, inæqualiter spissâ, sensûs acutissimi, investiuntur ossa; exceptis loculis ossium articularibus & dentium parte quæ supra gingivas prominere. Huic membranæ nomen est periosteum; dùm verò externam cranii arculam, pericranium, peridesme, dùm ligamenta, dùm cartilagine investit, perichondrium nuncupatur.

ADEMPTO periosteo, os patet in quo triplex è vario fibrarum ordine emergit substantia. 1^a. Scilicet solida vel compacta, 2^a. cellularis vel spongiosa, & 3^a. reticularis.

SUBSTANTIAM solidam quæ extimam ossium superficiem potissimum occupat, multa perficiunt lamellarum strata supra sese incumbentia, atque filis osseis quæ ex lamellis exeunt arctius confuta. Substantiam hanc in mediâ ossium longorum parte impensius collectam voluit natura, ut quâ parte magis resistendum foret, major in eâ vis vigeret.

IN ossium longorum confiniis, ut conciliaretur moles, simul & levitas, imminente solidâ substantiâ, redundat spongiosa: quæ intexitur lamellis compactæ substantiæ à se invicem disjunctis, adeò ut lamellæ breviores intrinsecus, longiores extrinsecus vergere videantur. Fibrillæ osseæ sese diversè interplicantes, cellulas constituunt quæ tenui membranulâ indutæ, oleo imbuuntur medullari.

TERTIA verò, à rete reticularis dicta fibrillis conflatur osseis, sed rarioribus, quæ, transfixâ medullâ, à pariete ad parietem intra magnam ossium longorum cavitatem tendunt: unde altera cellularum species prioribus affinis. Hæc in ossibus planis non reperitur.

MULTA nervorum stamina, & plura cujusvis generis vasa, è periosteo in ossium & medullæ ipsius compagem emigrare, tum injectionibus, tum anatomicis explorationibus comperitum est.

SOLUTIO continui in partibus duris à causâ contudente Fractura audit.

PLURIMUM inter se discrepant Fracturæ : earum differentiæ, ex osse fracto, solutionis figurâ, partium fractarum dimotione, temporis ratione, essentiâ, accidentibus, nec non causarum varietate, deduci solent.

FRACTURÆ differunt, 1^o. ex osse fracto; modò enim in ossibus longis & latis, modò in spongiosis ac durioribus Fractura evenit. 2^o. Quò ad solutionis figuram; alia transversa, alia obliqua, alia utriusque speciei particeps, alia tandem in ossibus longis longitrossum protensa quæ vocatur *fissura* (a), cujus manca videtur & incerta apud authores observatio. 3^o. Propter fractarum partium dimotionem; fracta à se invicem distare, vel suis emota sedibus aliud super aliud efferrî, vel deniquè crassitie paucâ sive plurimâ inter se contingere possunt. 4^o. Habitâ temporis ratione; recentes aliæ, aliæ plus minusve antiquæ. 5^o. Propter essentiã; triplex oritur Fracturarum species, simplex nimirum composita & complicata. 6^o. Accidentibus; Fracturam nulla interdum concomitantur accidentia, aliàs verò vulnus, luxatio, hemorrhagia, convulsiones, &c. Fragmentis aliquandò exasperantur Fracturæ; at verò si quæ sint, acuta, vel alteriùs cujusvis formæ, sede gaudent propriâ vel aliâ.

ALIA Fracturarum scriptoribus arrisit distinctio. Totiùs ossis substantiæ Fracturam, completam; multesimâ autem partis, incompletam tenent, quæ sæpiùs lata ossa, nunquam ferè cylindrica obsidet.

EXTERNAS tantummodò Fracturarum causas admittimus; cum internæ tanquam prædisponentes habeantur. Externas inter censentur, ictus, lapsus, nisus violenti, arma igni flua & contudentium innumerabilitas. Maximam interdum

(a) Discours sur le Traité des maladies des os de M. Petit, p. 100. Par M. Louis.

ossibus inurit fragilitatem lues venerea, scorbutica, cancrofa, rachitis, medullaris succi vel corruptela vel inopia, frigoris asperitas, caries, &c.

FRACTURARUM diagnostica signa, in æquivoca & certa vulgò distinguuntur.

QUIBUS antea memoratis sedulò perpensis, prognosis in promptu est. Minus habet periculi, cæteris paribus, Fractura partis ossium mediæ quàm extremæ. Transversam ac simplicem in quâ infractæ partes sibi mutuo apponuntur, Fracturam curatu faciliorem esse existimant. Non idem sanè sentiendum de Fracturâ etiam simplici quæ ob fistularis rostri figuram, à restitutâ sede faciliùs removeretur. Anceps Fracturæ veteris est curatio: sæpiùs insequitur calli deformitas; aliquandò nulla Fractorum cohæsió. Si vicinas partes acriùs momorderint comminuti ossis frustula, si conquassati dilacerentur articuli, quanta exindè malorum ilias! Dolores acutissimi, febris, inflammatio, abscessus, gangrena, hæmorrhagia, convulsiones, &c. quid plura? quò nervis & vasibus ditior pars perperam affecta eò gravior mali lues. Quò proprior est partibus nobilioribus Fractura, eò periculosior, ne dicam, lethalis.

IN obtinendâ Fracturarum curatione ars & natura inter se congruunt. Ex artis subsidio tria potissimùm Chirurgus attendenda sunt, 1º. ut fracta in legitimum ordinem reducantur ossa; 2º. ut apprimè reducta contingantur; 3º. deniquè ut futura præcaveantur accidentia & præsentia, si quæ sunt, debitis debellantur remediis.

AD germanam ossis fracti repositionem, disposito ritè apparatu, extensio, contraextensio & coaptatio competunt. Neglectâ machinarum suppellectile; hîc enim non tam à viribus summis quàm à sagaci virium usu sperandum.

VARIUS est, pro re natâ, positus ægri ad extensionem accommodatior. De re unâ tamen constat; qualis inter curationem futura est, in tali positione collocetur æger. Dein

7

instituitur contraextensio & gradatim extensio pro ratione dimotionis & musculorum resistentiâ determinanda, injectis circa ossis fracti fines rarò habenis, sæpissimè manibus. Quibus egregiè factis, sive volâ manuum, sive pollice utroque vel digitis celebranda est coaptatio cujus indicia sunt dolor sublevatus, membrumque alteri adæquatam.

FRUSTRA eniteretur Chirurgus qui repositum os & fragmenta non sedulâ asservaret deligatione, cujus ad apparatus spectant fasciæ, ferulæ vel lignæ vel chartulacæ, splenia, mitellæ, pulvinaria, &c. Alia in Fracturis simplicibus, alia in complicatis & varia pro læsâ parte usurpanda est vinctura, quæ neque laxior esse debet neque strictior. Dehinc operæ pretium est ut molliter, commodè & paulò altiùs incubet membrum. Confervere soluta, tempore indicto, ossa monuit divus Hippocrates; imò in quâlibet Fracturarum specie dies curiosiùs computavit. Hanc verò naturæ Legem incertam esse probant observationes: quamobrem illicò hæc subjecit & *natura à naturâ & ætas ab ætate plurimum distat.* De re eâdem agens Boerhavius *fit concretio, inquit, callusque citior tardior pro ætate, ossis crassitie, pondere incurbituro, vario tempore, intra 20 & 70 dies.* Tactu autem & motibus partis morbidæ leviusculis, de debitâ calli firmitate certior fiet Chirurgus, tempore quo noverit, experientiâ duce & ratione, suum opus peregisse naturam.

INTER mala à fractis pendentia, nihil sanè acerbiùs accedere potest quam si membranas, nervos, & vasa miserrimè dilaniarint fragmenta. Quæ in suam sedem fac compellas, aut forcipe elimines vel scalpro.

SI hæc frustrâ tentaveris, si, optimâ adhibitâ methodo; res in pejus ruerit, amputatio membri plerumque sola fit salutis anchora, & vix minitantem excisâ etiam parte, mortem tardaveris.

UBERIOR est accidentium proles, quàm ut ipsa etiam breviter exponere sinat pagella. Cæterùm non eadem cuique malo causa, non eadem medela; v. g. grassatur inflammatio,

modò nervorum puncturâ, modò deligatione angustiori, qui
bus, ut cæteris, amicâ dietæ, operationis & Pharmaciæ
concordiâ, cautus obstabit Chirurgus. Ad naturam cætera
spectant.

FINIS.

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or ghosting.]